1185.g.16
8

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
AFFECTIONE COELIACA.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J.U.D.

Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academia Lugd. Bat. Profeſſoris Ordinarii digniſſimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

CORNELIUS HONSCOOP, BATAVUS.

Ad diem 4 Novemb., loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXI.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
AEFECTIONE COELIACA:

THESIS I.

SAnguinem diverſis particularum generibus conſtantem è dextro cordis thalamo propulſum, pulmonum ſubſtantiam celluloſam emetiri, & à ſiniſtro exceptum per Aortæ truncum, ramos, ramulos in totum corporis ambitum ejuſque ἕξιν diſtribui, hinc denuo per venas motu circulari, eoque haud interrupto, ad dextrum cordis thalamum reduci, eundem curſum ſæpius repetere, refragabitur nullus, qui rationum momenta acutè propoſita, ac experimentorum veritates à ſolertiſſimo rerum naturalium indagatore Gulielmo Harvæo aſſertas, penſiculatius attenderit. Hic ſanguinis circularis motus, in quo vita noſtra conſiſtit, varia Oeconomiæ animali præſtat commoda: inſervit enim partium vivificationi, earumque caloris blandi ac naturalis conſervationi; nutritioni, id eſt, particularum ſenſim ac continuo deperditarum reſtaurationi; nec non variorum liquorum

intra

intra propria ſua conceptacula, [illegible] ſive venas aut vaſa lymphatica de novo ſanguini confundendorum, vel inutilium extra corpus eliminandorum ſecretioni. Hæc ſanguinis quotidiana ac neceſſaria diſpendia niſi conſtante vectigali, quod à continuo chyli recentis per vaſa lactea influxu dependet, reſarciantur, nutritionis defectu, Oeconomia animalis corruat, neceſſum eſt: Hic chyli ad ſanguinem commeatus variis modis intercipi poteſt, quotieſcunque vaſa lactea in exortu ſui, materiâ viſcidâ, pituitoſâ, ac tenaci obducta, vel in medio ab eâdem materiâ obſtructa, vel circa finem quacunque de cauſâ ſint anguſtata, aut compreſſa. Ut dictorum veritatem unico ex innumeris, quæ poſſent adduci, teſtimoniis comprobem, non minimam mihi anſam præbebit Affectio Cœliaca, de quâ pauca in medium proferre, illiuſque naturam, & curam enucleare decrevi.

I I.

Vocis etymologiam quod attinet; affectio Cœliaca, (clariſſimo D. Sylvio rectius vocatur fluxus alvi chyloſus) denominationem ſuam duxiſſe videtur à parte affectâ, Græco idiomate, Κοιλία, quod ventriculum denotat: haud enim infrequens eſt apud medicos morborum nomina à parte affectâ deſumi, uti paſſim ex autoribus liquet. Num hæc denominatio ſatis accuratè huic affectui ſit indita, cum hic affectus non contingat culpâ ventriculi alimenta ingeſta digerentis, ſed culpâ inteſtinorum & vaſorum lacteorum chylo ex alimentis ingeſtis confecto introitum non concedentium, pluribus non diſquiremus, circa vocabulorum ulteriorem explanationem non ſolliciti admodum, dummodò ſciamus, Affectionem Cœliacam eſſe excretionem alvinam præter naturam, in quâ chylus cum aut ſine fæcibus dejicitur.

I I I.

Magna intercedit inter hunc affectum & Lientericum diverſitas, quicquid dicant inter hunc & illum exiguam eſſe differentiam, hoſce affectus ratione tantum majoris & minoris à ſe invicem diſcrepare autumantes; verum conſiderando, quod in affectu Cœliaco lævia & æqualia ſuique ſimilia, & quaſi chyli aut cremoris

ſpecie

ſpecie profluant: in lienteriâ verò inæqualia & diſſimilia, in quibus cibi nec obtriti, nec confecti ſubſtantia apertè cognoſcitur, percipies (præterquam quod qui libet affectus longe alias agnoſcat cauſas, Lienteria enim, quæ eſt celer & frequens alimentorum abſque ullâ ſui mutatione per inferiora exeretio, eorundem fermentationem læſam; Cœliaca verò paſſio eorundem fermentatorum in venas lacteas tranſcolationem impeditam indicat) inter hunc & illum affectum ſatis magnam eſſe differentiam. Præterea Cœliaci famelici ſunt; nullam aut exiguam poſt aſſumta alimenta perſentiſcunt virium refectionem; nutritione corporis ſui deſtituuntur, donec affectu majora incrementa indies capeſſente, emarceſcant, ac maraſmo quaſi conficiantur.

I V.

Antequam me accingam ſcrutinio cauſarum, ſymptomatumque explanationi, in anteceſſum quædam naturalia ex humani corporis Oeconomia præmittenda ſunt, ut ſic præternaturalia melius innoteſcant. Alimenta itaque ore aſſumta, dentibus maſticata, ſalivâ imbuta, mediantibus faucium & linguæ muſculis, ad Oeſophagum, hujuſque fibrarum circularium & obliquè deſcendentium ope in ventriculum protruduntur; ibidem recepta fermenti benecifio attenuantur, inciduntur, fermentantur, & in maſſam convertuntur pultaceam, cremori hordei non abſimilem, chyli nomine inſignitam. Quodnam autem ventriculi fermentum ſit, quod facultatem ejus concoctricem promoveat, autores diſſentiunt. Quidam menſtruum acidum per vaſa brevia in ventriculum protruſum: alii bilem è veſicâ felleâ per ductum bilarium eructatam hoc fermentum eſſe ſtatuunt: alii humorem quendam per arterias gaſtricas deferri autumant. Quarum opinionum prima, cum ſatis apertè circulationi ſanguinis refragetur, uti ex fabricâ ipſâ, & conformatione vaſorum, quæ lieni cum ventriculo communia ſunt, magis eluceſcit: altera doceat bilem verſus ventriculum ſurſum ferri contra ordinariam naturæ legem: nec tertia improbabilitatis ſpecie careat: aſſenſum noſtrum extorquere non poſſunt: mihi itaque maximam hujus fermenti partem conſtituere ſaliva videtur, humor non inefficax, verum ſubtilis & penetrans: uti ex vi ipſius tumores reſolvente ac diſcutiente,

te, ſi eâdem, hominis præſertim jejuni, illinantur, abundè patet. Hæc ſaliva partim per ductus ſalivoſos tam ſupernos, lachrymarum è glandulâ ſuperioris orbitæ ſalientium canales genuinos ab oculis in nares, inque palatum protenſos, ut & laterales à glandulis Parotidibus circa radices aurium ſitis oriundos, quàm inferiores è glandulis Maxillaribus derivatos in os confluit; illi enim inter maſticandum (magna quoque ſalivæ copia continuò à nobis deglutitur, vel nobis inſciis in ventriculum delabitur) ope muſculorum ciborum comminutioni dicatorum compreſſi & anguſtati omnem, qui eorum cavitate continetur, deponunt laticem; partim ex variis glandulis totam buccarum regionem occupantibus & infinitis apertionibus contentum ſuum lipuorem in os eructantibus. Hac ratione alimenta copioſâ perfuſa ſalivâ ad faciliorem ſui diſponuntur deglutitionem, & fermentationem in ventriculo poſtmodum ſubſecuturam, cujus ab ipſâ quaſi rudimentum accipiunt in ore.

V.

Alimenta in ſubſtantiam pultiformem redacta è ventriculo, ope fibrarum omnis generis ſeſe conſtringente, nec non motu Diaphragmatis, ac reliquorum viſcerum circumjacentium (hepar enim motu reſpirationis indeſinenter concuſſum, ventriculum eſculentis & potulentis turgidulum comprimendo, iiſdem exitum parat) in inteſtinorum ἐκφυσιν per Pylorum protruduntur, in quâ ab humore in Pancreatis glanduloſis acinis ſecreto & per ductum Virſungianum eructato pro faciliore tranſitu magis diluitur & attenuatur, quò partium utilium & alimentoſarum ab excrementis ſeparatio commodius peragatur, & chylus anguſtos venarum lactearum canales promptius ineat, & magis liberè atque expeditè pertranſeat. Hinc chylus continuo inteſtinorum motu à Pyloro ſecundum eorum ambitum ad podicem uſque ſucceſſivè propagato deorſum urgetur, ut ab exiguis oſculis venarum lactearum, non directè & immediatè in inteſtina hiantibus, ſed obliquè inter eorum tunicas repentibus, reſorbendus ſiſtatur, craſſioribus ac fæculentioribus alimentorum portiunculis in inteſtina craſſa demiſſis. Has venas, à colore chyli albicante quem vehunt, lacteas dictas, per multa retro ſecula denſis ignorantiæ tenebris demerſas, in lucem revocavit Caſparus Aſellius.

lius. Harum myriades à Pyloro ad extremum Ileum: numeroſiores ab inteſtino duodeno & jejuno: pauciores autem ab inteſtino tenui, quod ileum eſt, pullulantes, Meſenterium triplex, non duplex ſecundum quorundam Anatomicorum opinionem (Meſenterium triplici conſtare membrana, ex accuratiſſimâ inſpectione anatomica Clariſſimi Dn. D. Drelincurtii conſtat) ita ut intermedia membrana vaſorum per meſenterium diſcurrentium fulcimen præbeat, non ſimplici, ſed multifido ductu perreptant. Inde expeditiſſimâ viâ in Aſelliani Pancreatis glandulas intimè ſubeuntes, in earum parenchymate obliterantur: poſtquam in glandularum meditullio evanuerunt, mox novi prodeunt ſurculi, qui circa meſenterii radicem rurſus coëuntes, intra faſciculum circulo quaſi carneo colligantur, & in Pecquetianum commune receptaculum exonerantur. Hæc de chylo veniſque lacteis dicta ſufficiant.

VI.

Nunc viâ quadantenus ſtratâ ad cauſas hujus affectus enodandas, rejectis facultatibus viſcerum retentricibus, attractricibus, quas Autores paſſim inculcant, in dogmatum medicorum frivolis admodum & futilibus, cauſam hujus fluxus proximam ſtatuo expulſionem chyli præpoſteram & vitioſam, qui propterea quod in inteſtinis longiorem moram nectere cogatur, vel copiâ gravans ſuâ, vel acrimoniâ vellicans, motum eorundem Periſtalticum accelerat; Quod vero chylus in inteſtinis longiorem moram nectere cogatur, id aſſcribendum, vel morbis inteſtinorum & vaſorum lacteorum, vel morbis chyli & humorum, in inteſtinis confluentium, vel morbis prægreſſis gravioribus, vel denique cauſis externis.

VII.

Quoties alimenta durioris & difficilioris digeſtionis, aut nimiâ quantitate aſſumuntur: illa à fermento, quod licet ſatis bene ſit conſtitutum, non poſſunt fermentari: quia ad particulas magnas movendas major requiritur vis, quam ad mediocres, quibus movendis fermentum medio modo ſe habens par eſt. Unde temporis ſucceſſu magnus humorum pituitoſorum, tenacium, & viſcidorum in inteſtinis fit proventus & accumulatio. Huic rei non parum contri-

tri-

tribuunt inteſtina propter varios anfractus, gyroſque variè contortos, nec non valvulas ex interiori tunicâ membranaceâ efformatas, & per totam ipſorum cavitatem explicatas, humoribus pituitoſis congerendis, congeſtis coacervandis apposita atque accommodata. Qui humores, cum propter particularum ſuarum cohæſioni aptarum motum lentigradum ſubſiſtentes, lateribus inteſtinorum ſeſe applicant, vaſcula lactea anguſtis admodum & perexiguis quidem, numero autem infinitis oſtiolis, tanquam totidem radiculis, in tunicam inteſtinorum interiorem cruſtâ quadam carneâ, molli, ſpongioſâ, quæ velamentum bombycinum dicitur obductam, inhiantia, ut puriorem tantum & defæcatiorem maſſæ fermentatæ partem excipiant, obturant; unde chyli diſtributio impeditur. Chylus itaque propter impeditam per vaſa lactea tranſcolationem, inteſtinorum motu conſtrictorio deorſum verſus inteſtina craſſa ſe recipere cogitur; ibidem una cum particulis alimentorum tum utilibus, tum ulteriorem ſubactionem refugientibus (huc confluunt quoque varii alii liquores, ſaliva ſc: continuò deglutita, ſuccus pancreaticus, bilis, ac liquor è glandulis inteſtinalibus agminatim diſpoſitis prorumpens) permiſtus diutiuſque permanens augetur in pondus ipſis moleſtum, aut labem quandam contrahens & acrior factus (humores ſtagnatione, avolantibus particulis ſpirituoſis, acriores fiunt) inteſtina vel copiâ ſuâ, vel acrimoniâ ad ſui contractionem naturalem præpoperam p. n. adeoque contentorum depulſionem nimis citam & præmaturam inſtigat; atque hac ratione chylus unà cum fæcibus per guttur inferuis eliminatur.

VIII.

Chyli per venas lacteas tranſitus præpeditur propter earundem vel obſtructionem, vel compreſſionem. Obſtrui venæ lacteæ in ductibus, ſed potiſſimum in Pancreate Aſellii poſſunt à ſucco lacteo poſt ejus ingreſſum in has venas diſtributo, corpore valde æſtuante, poſtea ſubitò refrigerato; tunc nimirum ductus craſſiori chylo, quem in æſtuatione dictâ exceperant, tranſmittendo pares non ſunt, plurimùm jam conſtricti; qui igitur inibi hærens eos opplet atque oppilat. Hujus obſtructionis autor etiam poteſt eſſe pituita viſcidior, prius in inteſtinis tenui-

tenuibus relicta, hinc in venas lacteas delata, & ibidem rurſus incraſſata ac coagulata. Solvitur pituita viſcidior ab aëre æſtuante, ſive ſolis, ſive ignis, aut & à calore febrili, ab alimentis aut medicamentis ſpirituoſis & ſale volatili conſtantibus, & imprimis à potu tepido calidove copioſius ingurgitato, à corporis motu vehementiori, ab irâ nimiâ, ob vigilias contractas, &c. Incraſſatur denuo ob potum frigidum gelidumque copioſius ſumtum, aut ſubitaneam abdominis refrigerationem. Vaſorum lacteorum compreſſio oritur à tumoribus duris vicinis comprimentibus. Sic glandulæ per meſenterium diſperſæ vaſorumque propaginibus annatæ ſi ſcirrho obſideantur, meatus & itinerula humori lacteo convehendo aliàs pervia anguſtant. Quod medicorum obſervationes ex cadaverum cultello Anatomico ſubjectorum abunde docent. Riverius praxeos ſuæ libro 10. Meſenterii glandulas innumeras ſtrumoſas cauſam fluxus Cœliaci in pueris maraſmo confectis repertam fuiſſe, memorat. Uno verbo vaſa lactea comprimi poſſunt à variis tumorum generibus, diverſa, pro diverſis contentarum materierum ſpeciebus, nomina ſortientium. Hinc abſceſſus omnigenos, congeſtiones materiâ gypſeâ, calculoſâ, tartareâ refertas, nec non Atheromata, Steatomata, Meliceridès, ut & Hydatides in meſenterio ſe vidiſſe, autores in obſervationibus ſuis unanimiter teſtantur. Cauſas iſtorum tumorum & generationis modum ſigillatim perſequi, inſtituti ratio non permittit.

IX.

Chylus, quod diſtribui nequeat, in cauſâ eſt, quoties ex alimentis craſſis & viſcidis genitus per inteſtinorum orbes oberrando præ particularum ſuarum glutinoſitate ductuum chyliferorum oſcilla ſubintrare, aut craſſiorum & terreſtriorum ab alimentis reſiduarum portiuncularum, quibus veluti intricatus detinetur, compedibus ſe extricare, iiſdemque valedicere non poſſit. Humores, ſuccus puta pancreaticus, & bilis, chyli itidem diſtributionem retardant, quando ob viſcerum vel ductuum anguſtiam, obſtructione, compreſſione, ſive quacunque

quacunque

que aliâ de cauſâ productam, eò confluere prohibentur, vel licet eò confluant, propter particulas pituitoſas ipſis permixtas, ac principiorum activorum depreſſionem, inertes ac inefficaces, non multum ad fermentationem ciborum in ventriculo inchoatam ulterius perficiendam contribuunt. Bilis ſale ſuo volatili, quo turget, alimentis permiſta, eorundem intimiores receſſus ſubit, partes craſſiores ac tenaciores incidit, ac proinde partium alimentoſarum ab inutilibus ſecretionem non parum adjuvat. Præterea bilis vi ſuâ deterſoriâ, muci inteſtinis naturaliter adhærentis copioſiorem proventum, ne vaſorum lacteorum oſcula inferciat, impedit.

X.

Dyſenteriæ graviori, nec non Diarrhoeæ diuturnæ ſucceſſiſſe fluxum Cœliacum, ſæpius obſervatum eſt. Quo utroque in caſu oſcula venarum lactearum inteſtinorum cruſtâ carneâ abraſâ, vel lymphâ, quâ foveri atque humectari deberent, exhauſtâ corrugantur, ſubſidunt, ac in ſe collabuntur, vel cicatricibus, poſt præcedentia ulcera ab humoribus acribus corroſivis effecta, inductis oblitterantur & occæcantur.

X I.

In cauſarum externarum ſeu procatarcticarum cenſum revocantur omnia ea, quæ humoribus pituitoſis & glutinoſis intra inteſtina exaggerandis quoquo modo ſubminiſtrare poſſunt.

X I I.

Inter Symptomata recenſuimus, quod Cœliaci famelici ſint; hoc exinde originem habet, quod magnâ chyli portione per anum evacuatâ ſanguis deſtitutus neceſſariò acrior redditur; à quo acriore, acrius etiam fermentum in ventriculum delabitur, quod nervi ſexti paris fibrillas per ſuperioris ventriculi orificii contextum fibroſum maximâ copiâ diſſeminatas, acrimoniâ ſuâ vellicando & ſtimulando continuum alimenta aſſumendi deſiderium in ipſis excitat.

XIII.

X I I I.

Quod ægri poſt aſſumta alimenta nullam aut exiguam, ſaltem virium perſentiſcant refocillationem, mirum non videbitur ci, qui conſideraverit, ſanguini vires ad functiones peragendas neceſſarias ſuppeditanti, nunc propter vaſa lactea obſtructa chyli affluxu non gaudenti, non ſufficiens pabulum pro ipſius reſtauratione inſtillari: chylo enim deficiente, ſanguis & deficiat, neceſſum eſt. Chylo enim maſſam ſanguineam ſubeundi nulla alia datur via præter vaſa lactea. Quanquam tamen non improbabile videtur aliquotam ſucci alibilis partem venarum meſeraicarum extremitatibus reſorberi, & hac ratione in cruoris maſſam derivari. fortaſſe hæc portio, ordinariis ductibus chyliferis obſeſſis, erit lautior. Unde obſcurum non eſt, virium inbecillitatem, languorem, ac ad munia quævis obeunda ſegnitiem quandam in Cœliacis obſervari.

X I V.

Nutritio læditur ob chyli in ſanguinem tranſitum denegatum; unde ſanguis repetitis fermentationibus in utroque cordis thalamo magis magiſque acrior redditus, non tantum ad nutritionem minus aptus evadit, verum particulis ſuis ſcindentibus & pungentibus abradit, quicquid partibus erat appoſitum. Durante per tempus hoc rerum ſtatu quid aliter exſpectandum? niſi quod partibus alendis, earum poris & tubulis præ defectu ſucci nutritii ſubſidentibus, genio ſuo defraudatis corpus emarceſcat, & maraſmo quaſi conficiatur.

X V.

Prognoſin quod attinet: affectus, ſi inveteratus ſit, & chronicus, curatu ad nodum difficilis eſt; medicamenta enim propter humores lentos, craſſos, pituitoſos in inteſtinis ſtabulantes, exoptatum ſucceſſum ut plurimum non conſequuntur. Non minus gravis & periculoſus eſt cenſendus. Etenim vires ægrorum ſummopere proſternuntur ob chyli per inferiora excretionem: unde eo-

rum corpus, quod continuâ ſui reſtauratione indiget ob particulas tam per ſenſibilem, quam per inſenſibilem tranſpiratum, ut & alias evacuationes deperditas, emarceſcat, collabaſcat, ac ipſius vires morbo ferendo impares fiant, neceſſum eſt. Inſuper periculoſus eſt, quod ſubinde graviſſimorum aliorum malorum cauſa ſit, tabis puta, cachexiæ, leucophlegmatiæ: nec non ei ſæpe ſuccedat hydrops Aſcites, quod nempe vaſa lactea à materiâ craſſa obſtructa à lymphâ magis magiſque à tergo ſubſequente diſtendantur, donec propter membranularum ſuarum teneritudinem ulteriorem diſtenſionem pati neſcia rumpantur, & contenta in abdominis cavitatem evomant. Qui producitur à glandulis meſenterii ſcirrhoſis, aut tumoribus quibuslibet, difficillime, ſi unquam, curationem admittit, quia humores craſſi, terreſtres, melancholici, iſtorum tumorum cauſæ productrices, non facile poſſint edomari, neque ad motum fermentationis perduci, qui tamen ad eorum curationem foret neceſſarius, præterquam quod medicamenta ad partem affectam pervenire non poſſint, niſi diſſectis iis à ſe invicem in innumeras particulas, atque adeo niſi jam valde fractis viribus. Si dyſenteriæ, à clauſis venarum lactearum, ex cicatrice, poris, ſucceſſiſſe fluxum Cœliacum conſtiterit; de curæ impoſſibilitate non eſt dubitandum. Miſſâ itaque curatione fluxus Cœliaci propter cauſarum pertinaciam immedicabilis, ſolummodo conſiderabimus eum, qui à muco viſcido & craſſo venarum lactearum oſcula oppilante fuerit productus. Cujus tamen cura eò melius procedet, quò vires ſint robuſtiores, habitus corporis minus conſumtus, & medicamentorum deobſtruentium uſu magis proficiatur.

X V I.

Curatio ſecundum hos ſcopos ſive indicationes eſt perficienda. I. Ut humor viſcidus, lentus, glutinoſus inteſtinorum parietibus adhærens, oſcula vaſorum lacteorum, ut & ipſa vaſa inferciens attenuetur, incidatur, & ad priſtinum fluorem reducatur. II. Ad evacuationem præparatus & idoneus redditus per medicamenta purgantia extra corpus ſenſim & leniter eliminetur. III. Vaſa lactea & inteſtina aperiantur, detergantur, corroborentur, eorundem

eundem tonum relaxatum adſtrictione quâdam reſtituendo. Nec IV. exacta diætæ ratio negligatur.

XVII.

Antequam humores viſcidi & glutinoſi vehementioribus purgaminibus educantur, eorum digeſtio, ſubactio, præparatio (juxta Hippocratis effatum, concocta eſſe purganda, & movenda, non vero cruda) imprimis eſt neceſſaria, alias metuendum eſt, ne iidem catharcticorum vi in motum concitati, non vero exturbati, tormina, ructus, inflationes, ſimiliaque alia mala inducant, aut humores craſſi, tenuioribus & aquoſioribns craſſorum vehiculis ſolummodò evacuatis, magis incraſſentur, & ita malum curatu difficilius reddunt. Humores proinde viſcidos & glutinoſos præparant, incidunt omnia medicamina, quæ particulis ſuis penetrantibus eorum nexum atque cohærentiam diſnectunt. Hæc autem ex multis optimè præſtant præter varia aromatica, omnia quæ conſtant ſalibus tam volatilibus, quam fixis: qualia ſunt ſequentia, Rad. enul. camp. Acor. Angel. Bryoniæ, Aronis, Zedoariæ, galangæ, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, cyper. imperator. irid. chin. Cort. tamariſc. cappar. &c. Herb. & fol. agrimon. card. bened. abſinth. calaminthæ montanæ, major. rut. hyſſop. centaur. min. fumar. acetoſ. trifol. aquat. Sem. card. min. apii, fœnic. coriand. Bacc. laur. juniper. fruct. amygd. amarar. Commendantur inſuper aq. meliſſ. Salv. Hyſſop. ror. mar. theriac. ſimpl. & compoſ. vit. Matth. Inter chymica ſalia fixa card. bened. abſinth. ſtip. fabar. agrimon. cort. tamar. Item ſalia volatil. armon. C. C. urin. ſp. ſal. nitri. Tartar. vitriol. nitrat. crem. tartar. varia ex chalybe præparata, elix. prop. Parac. Ol. deſtill. mac. cariophyll. citri, arantior. carui, &c. ex quibus pro re natâ, conſideratis conſiderandis, pro ægrorum palato variæ poſſunt concinnari formulæ.

XVIII.

Ubi nunc hiſce vel ſimilibus humores prædicti quodammodo correcti & præparati fuerint, eorum quantitas medicamentorum

phlegmagogorum beneficio eſt educenda, inter quæ optimi recenſentur ſem. cartham. Agaric. trochiſcatus, ejuſque reſina, mechoacann. rad. jalappæ, ejuſque reſina, trochiſc. alhand. pil. extract. cathol. Item gumm. ammon. galban. Opopon. Hunc in finem purgantia convenientiſſime formâ pilularum præſcribuntur, quippe quibus gummata ſolvendæ ac incidendæ pituitæ præ aliis medicamentis aptiſſima, facilè permiſceri poſſunt, ut unâ eâdemque operâ materia peccans tum alteretur, tum educatur. Optimo quoque cum ſucceſſu purgantia adduntur decocto, apozemati, vel vino medicato, ex incid. attenuant, detergent. aperient. th. præced. enumeratis parato. Quapropter non minus inutiliter in uſum revocantur Tincturæ ex purgantibus aloë, ſcammon. jalapp. ope ſpiritus vini elicitæ, additis extracto abſinth. ſp. ſal. armon. vel alterius alicujus ſal. volat. ol. deſtillat. alicujus aromatic. ſimilibúſque aliis.

X I X.

Hac ratione ſaburrâ viſci inſtar inteſtinis agglutinatâ inciſâ, correctâ, & ſæpius expurgatâ, non intempeſtivum erit adhibere ea, quæ moderatè calefaciendo, incidendo, attenuando, aſtringendo ventriculi & inteſtinorum functiones, ac eorundem tonum relaxatum recuperent. Ut ſunt nux moſchata, mac. cariophyll. card. min. Maſtix. Sp. diamb. diagal. diacalam. Conſ. roſar. rub. meliſſ. menth. abſinth. Rad. z. z. helen. acor. cort. citri, arantior. nux moſchat. cond. Syr. menth. cydon. Elix. prop. Parac. Variæ ex chalybe præparationes ſummopere ab autoribus commendantur, non ſine ratione: nam vim deobſtruendi non tantum, ſed corroborandi etiam poſſident. Ex his & ſimilibus præ aliis formulis forma conditi poteſt præſcribi, maximè in hoc caſu proficua, de quâ æger mane & veſperi bolum inſtar caſtaneæ aſſumat. Interim non negligenda externa. Foris conducunt regioni epigaſtricæ, & umbilicali applicanda linimenta ex ol. nuc. moſch. nard. maſtichin. Empl. de cruſtâ pan. cera. ſtomach. Galen. Nec non ſacculi ex fol. menth. laur. abſinth. bacc. laur. ſem. aniſ. pulv. nuc. moſchat. cinam. &c. confecti.

X X.

X X.

Huc uſque telâ curationis perductâ, eidem finem imponeremus, ni quædam de recto rerum non naturalium regimine addenda forent: in quo ſi error ab ægris committatur, fruſtra quis medelam ſperaverit. Aër itaque eligatur moderatè calidus, ipſius ſubitaneæ ex calido in frigidum mutationes, quantum poſſibile, vitandæ. Alimenta ſint boni ſucci & laudabilis concoctionis, eaque aromatis condiantur. Potus, ſive vinum, ſive cerevifia ſit, à fæculentiis terreſtrioribus liberatus aſſumatur. Somnus nimius aut in tempeſtivus fugiendus. Motus corporis & animi, exercitia, lucubrationes, ſtudia, mediocritatis terminos non excedant. Animi pathemata frigida exulent. Excretiones pituitoſæ non ſupprimantur. Horum & ſimilium tam ex Pharmaceuticis, quam Diæteticis deſumptorum uſu aliquamdiu continuato & interpolato, ut felix & optatus curationis fluxus Cœliaci eſt exſpectandus ſucceſſus, ſic & hujus diſputationis

F I N I S.